

H h
325

AD
PIETATIS OFFICIVM SVPREMO NVMINI
PRO
PACTIONE NVPTIALI
A
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
L V D O V I C O
PRINCIPE HEREDE NASSOVIAE
AC COMITE PONTIS SARAVI REL
CVM
SERENISSIMA PRINCIPE AC DOMINA
DOMINA
WILHELMINA SOPHIA
ELEONORA
PRINCIPE SCHWARZBURGI REL
FACTA AC SOLLEMNITER CONSVMMATA
IN GYMNASIO NOSTRO DIE ~~XXII~~ NOV: PRAESTANDVM
PERILLVSTRES ATQ: EXCELLENTISS: SACRI SENATVS
PRAESIDEM SPLENDIDISSIMVM MAGNIF: PRAENOBILISS
PLVRIMVM VENERABILES CETERO SQ: FAVTORES
ET AMICOS
PRO EO AC PAR EST
INVITAT

DE SERTO CONNVBIALI
QVAEDAM PRAEFATVS



M· FRIDER· NIC· VLRICH

GYMN: FRIDERICIANI DIR

RVDOLPHIPOLI, LITTERIS HERED: LOEWIANOR

ИАНИС ОДИОВА СУДИТЬСЯ
ИАНИС ОДИОВА СУДИТЬСЯ

ИАНИС ОДИОВА СУДИТЬСЯ

СИМЕОН ПАПА АЛЕКСАНДР

АИРСАИИ ПАНИИ



Quamquam et tempora, et mores, mutantur,
mortaliumque animi, utpote uarii ac instabi-
les, rerum nouarum studio maxime oblectan-
tur, mos tamen ille, non minus sponsi, quam
sponsae, capita coronis redimendi, ut apud priscos, sic
etiamnum apud nos, obtinet. Non est, quod copiose
anquiratur, ex qua materia eiuscmodi coronae nuptiales
pro diuerso temporum genio fuerint plexae, siquidem in
primordio ex uersicoloribus aeque floribus, ac fragrantibus,
ueluti rosis, praecipue autem ex myrto, in ueterum
monumentis contextae tradantur. Vbi uero hominum
ingenia a natura, simplicissima duee, degenerare,
nec non luxuriare, coeperunt, spiceae, asparagi, rosae
Lusitanae, Locrenses floreae, ac sisymbrium, adhibeban-
tur, quin immo oliuae, ac ligneae, ex tiliae libro pictae,
leguntur consertae. Necti tandem coeperunt ex aureis
floribus, adiecto pretioso gemmarum decore, qui tamen
flores aurei, et figura, et colore, naturales imitabantur.
Quibus coronamentis non modo recens nupti, uerum

quoque eorum affines, domestici, coniuiaeque singuli,
erant conspicui, quin immo ipsae ianuae, uestibulum,
omnesque aditus domus, in qua nuptiae siebant, olea
et auro redimita conspiciebantur.

Evidem sequiori aevo Imperatoris Vespasiani interdicto neogami ab eiusmodi fertis sese abstinere coacti sunt, primique Christi asseclae coronarum usum non uniuerso modo, sed etiam sigillatim, in connubiis concelebrandis auersabantur, uix ulla alia adducti re, quam quod oculis suis uiderent, quam praepostere ac superstitiose a gentibus profanis ad honorem Numinum commentitiorum, atque ad cultum cacodaemonum, connubialia ferta usurparentur. Insecutis uero temporibus, ubi, otio Christianae religionis cultoribus diuinitus redditio, haud pauca iis erant concedenda, qui aetate fere iam prouectiores ab idolorum cultu ad Sacra Christiana transgressi ea aegre mittebant, quibus per longum temporis spatium erant imbuti, efficiebatur, uti haec nouos coniuges coronandi consuetudo, in se omnis labis expers, quasi postliminio Imperatorum Christianorum suffragio rediret, ac sensim pedetentimque ita inualeceret, ut hac nostra tempestate toto, qua patet, orbe Christiano usu sit recepta, omni tamen superstitione remota, ac in meliorem sententiam conuersa.

Quodsi ergo quispiam quæsierit, quid coronae nuptiales hac nostra memoria sibi uelint, quidue innuant, sic habeto. Principio sunt symbolum uictoriae ac promeritorum. Matrimonii uinculo arctissimo coniuncti, se de hoste interiori, prauis, putâ, cupiditatibus triumphasse, et corporis integratatem indelibatam, neque praecerptam, neque praeforamat, conseruasse, suo ferto nuptiali declarant. Quid enim sibi uult corona, quaerit Chrysostomius alicubi, nisi ut ostendant coniuges, se usque ad id tempus uictores cupiditatum fuisse. Quo etiam fit, ut in secundis

cundis nuptiis, earumque apparatu, nuptiales coronae more ubique receptissimo omittantur. Honoris porro indicium esse coronas, modo memoratas, nemo, rerum intelligens, in dubium uocauerit. Auctoritate enim diuina aequa, ac exemplis quarumvis gentium moratorium, ordo coniugalnis suum honorem dignitatemque tuerit, eosque in foro humano debita manet poena, qui coniugii sanctitatem temerant, ac iura illius, omni posthabita religione, proterue uiolant. Atque inde est, cur dies, quo despontari ad societatem hanc inuiolabilem, quam iniere, inaugurantur, apud nos, der jungen Eheleute Ehrentag, uulgo appellitetur. Relinquitur extremo, ut paucis addamus, qua ratione corollae nuptiales in hunc usque diem pro *laetitiae* quoque signo sint habitae. Cum enim lux, quae matrimonii iura confirmat arctissimisque vinculis coniugum pectora constringit, simul sit praenuncia solidissimorum gaudiorum, quae ex srauissima animorum, virtute insignium, conspiratione, nec non ex mutuo molestiarum uitae huius caducae alleuamento, non possunt non gigni, illa iure meritoque pro die laetitiae pectora ducitur, ac digna, quae liquidis animis atque exporrecta fronte, excipiatur, et qua singuli, tori socii pietate ac fide obstricti, ad mutua gaudia, adspectu coronae connubialis, utpote laetitiae symboli, inuitentur.

Quodsi uero exempla rem et dicta illustrant, talismodi *laetitiae coronam*, nobis admirandam tenerandamque nunc ostendit dies ille faustissimus, quo haud alter desiderabilior, et quo per auspiciatissimum connubii foedus Schwartzburgicae regiones cum omnibus, quos prisei aeuicandor commendat, ciuibus laetitia complentur impensa. Serenissimus Princeps LVDOVICVS, Heres Nassouiae, ac Comes Pontis Saravi, et sagatus, et togatus, Heros, nostram salutat, diuina prouisione duce, Aulam, ad decus et honestum compositam instruetissimamque. Tenetur eiusmodi

modi instructione prudentissima, ac prouti virtutibus, quae
in Principum personas cadunt, *Ipsè fulget*, sic earundem
praestantiam Secum admiratur in *Serenissimi Patriae Patris*
nostri Elia natu iuniore. WILHELMINA SOPHIA
ELEONORA. Regressus ad patrias sedes, ambit, qua
maxime capitur, WILHELMINAM. *Serenissimus Patriae*
Parens noster FRIDERICVS, pro ea, qua pollet, prudentia,
re tanti momenti ponderata, ad petitum consentit,
paotiones dotales conficiuntur, *Serenissimus sponsus* reddit
ipse Melapyrgum, sedem illam, antiquitate, auorum pro-
meritis, ac posterorum dignitatum incrementis, inclitissi-
mam. Ritibus sacris ibidem ad d. III. Kalendas Nouem-
bres connubii foedere iunguntur *Auguſtissima* haec duo
Pectora, inspectantibus Aulae proceribus, compluribusque
aliis, et aduenis, et inquilinis. Tormenta ab hora septima
uespertina exploduntur, eorumque fragor e longinquò
ipſi Rudolphipoli significat, rem maximam aetam esse, nec
uanam inde natam gaudendi materiem, quae in disciplina
domestica FRIDERICI NOSTRI, ceu stirpe, fundetur.
Ac profecto est illa ingenuae ac piae cuiusdam voluptatis
plena cogitatio, quae animum nostrum nonnunquam su-
bit, quod publicam utilitatem regnorum ac nationum ita
priuatis Principum commodis innexam diuinitus implici-
tamque obseruamus, ut tanto ipſi sint feliciores Principes,
rebusque omnibus beatiores, quo maius studium ad rem
publicam tuendam ornandamque attulerint, et ipsa, ab al-
tera parte, imperantium felicitas maximum ad ciuium com-
moditates momentum afferat. Habet hoc FRIDERICVS
Princeps, quem Deus amet, et bonis omnibus augeat.
Habet hoc quasi praemium curarum suarum, ac laborum,
in publicam rem impensorum, ut parta per eximiam pror-
fus educationem paternam, diuinaque gratia, ad quam
omnia refert, adiutam, felicitate, et *Ipsè*, et per *Ipſum*
ciues, frui queant. Quotus quisque enim est, quin sciat,
quan-

quantam diligentiam, eamque accuratissimam, ut in
AVGVSTA, sic in WILHELMINA, praeclare edicanda
adhibuerit, et, quibus litteris, artibus, sententiis, morib
imbuatur, prouiderit sapientissime, ac procuraue
rit adeo, ut non tantum felicitatis huius in se ipso, hoc est
dicere, in paterna cura praefidia haberet certissima, sed
praeter cetera optimam marito, quicunque felix ille esset,
dotem afferret, purissimam sanctissimamque ex coniunctu illi
us, amicitia, perpetua uitiae consuetudine, uoluptatem. Cum
enim ipso auctoris naturae nostrae consilio alter sexus ad
hoc natus factusque sit, ut illius ope, illius dulcedine at
que humanitate, quae aspera habet etiam summorum Princip
um uita, emollientur et reddantur tolerabiliora, tum
uix fieri potest, quin WILHELMINA, nobilissimo fan
guine orta, incredibiliter multum allatura sit ad perpetuam
celerrimi LVDOVICI sui uitiae iucunditatem, idque tanto
magis, quod in singulos dies noua sui mariti decora, no
uos generosi pectoris motus, noua crescentis in Ipsam
amoris pignora, nouam gratulandi materiam, nouas gra
tias agendi occasiones, laeta inueniet, quemadmodum Ille
uicissim recentes quotidie castissimi amoris illecebras, noua
purissimi atque integerrimi animi documenta, noua ama
bilissimae cuiusdam comitatis atque obsequii experimenta,
hoc est, totidem fomenta amoris, totidem felicitatis suae
argumenta et accessiones, obseruabit.

Gaudeat igitur FRIDERICVS de connubio WIL
HELMINAE suae felicissimo! Gaudeat ac uideat sua
quaevi paterna uota ac spem per Illam non ex animi mo
do sententia completa, sed quoque superata! Gaudeat ac
uideat, de propagine sua et exterarum regionum salutem,
ac Principum Domos, propagari! Gaudeat ac uideat deni
que utraque coniugii huius desideratissimi Serenissima Gens
in eiusdem prosperitate perpetua uotorum suorum com
plementa, omnibus numeris absoluta.

Pergant,

AK Th 395 x 3376861

Pergant, extremo quod primis in uotis est, LVDO-
VICVS ac WILHELMINA uiam suam in terras Sarae-
pontanas, Deo duce, coelo fauente, et pede inoffenso,
cum comitatu suo! Eorum exoptatissimo aduentu Serenissimi
Parentes summo perfundantur gaudio, Filiusq[ue] Heres ac
Nurus iucundissima, tenerrimis complexibus ab iisdem exce-
pti in deliciis habeantur. Videant laetissimi quosuis ciues,
pietate ac fide obstrictos sibi obuios, ac in gaudium effusos,
audiant eorum uotitas acclamationes intima cum animi
uoluptate, experianturque, pia illorum uora supremum Dei
Numen rata fecisse! Publicae huius laetitiae, quam pagi-
na non capit, interpretes mecum copiosiores futuri sunt
tres (*) Gymnassi nostri adolescentes. Quos ut Perillustres
atque Excellentiss. Magnif. Praenobilissimi, ac summe Re-
uerendi, Ephori, Patroni ac Fautores, ut consuerunt,
gratiosi ac beneuoli audire ne dedignentur, est, quod omni
qua decet, obseruantia rogamus. Scribebam ex museo,
ipsis Kalendis Nouembribus, A. R. S. cīc 1336.

- (*) I. CAROL. GVILIEL. LOEBER, Seeberg, pertinax dilig-
entiae ac bonae mentis, *Candidam Junonis manum pa-*
trio sermone interpretabitur.
- II. CHRISTIAN. NIC. KOEHLER, Schwarzburg, cuius felix
in litteris conatus, moresque placidi, *cum harmonia musica*
coniugium harmonicum sermone uernaculo comparabit.
- III. CAROL. GVILIEL. DE WILLISSEN, Eques Halberstad.
cuius animi dotes, et erecta indoles, solidas in litteris
progressiones promittunt, *Bonum cor Gallico idiomate*
adumbrabit.



II h
325

B.I.G.



AD
OFFICIVM SVPREMO NVMINI
PRO
CTIONE NVPTIALI
A
SIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO
D O V I C O
E HEREDE NASSOVIAE
COMITE PONTIS SARAVI REL
CVM
IMA PRINCIPE AC DOMINA
DOMINA
ELMINA SOPHIA
LEONORA
E SCHWARZBVRGI REL
C SOLLEMNITER CONSUMMATA
NOSTRO DIE ~~XXVII~~ NOV. PRAESTANDVM
TQ EXCELLENTISS SACRI SENATVS
ENDIDISSIMVM MAGNIF PRAENOBILISS
ENERABILES CETERO SQ. FAVTORES
ET AMICOS
PRO EO AC PAR EST
INVITAT
SERTO CONNVIBALI
QVAEDAM PRAEFATVS
RIDER NIC VLICH
GYMN FRIDERICIANI DIR
OLI, LITTERIS HERED LOEWIANOR

